



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1860

- II. Ritter Heinrich von Dosse gründet seinen Eltern eine Gedächtnißfeier bei dem Kloster Marienwalde, am 29. September 1293.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55515)

ad Jus vere proprietatis pro nouo Monasterio fundando et ibidem construendo cum omni Jure et vtilitate, que nunc est vel in futurum haberi poterit, libere possidendos. Preterea hec Stagna videlicet magnum Slawe, Reddentine, Bernsee, Staruz, Coffin, Berbenick, Nestubbe et alia Stagna infra terminos dictorum manfom sita et riulos intra eosdem terminos defluentes, Et piscationem per ascensum Drawe a vado qui dicitur Stenuorde per miliare et dimidium supradictis fratribus damus feliciter ad fruendum et quiete. Insuper supradictis fratribus damus aduocatiam liberam et vt Judicia maiora et minora per suos Oeconomos in dicta exerceant proprietate. De cetero omnes libertates et Immunitates, quas predicti fratres de Colbatz in aliis suis bonis habere noscuntur, scilicet in villis, agris, syluis, cultis et incultis, pratis, pascuis, fluminibus, riulis, stagnis, aquis, piscationibus, molendinis conferimus fratribus supradictis. Vt autem hec nostra solennis donatio, coram multis astantibus facta, rata in perpetuum permaneat et inconuulsa, Presentem paginam cum sigillorum nostrorum appensione fecimus communiri. Testes autem huius rei et donationis sunt Dominus Hermannus abbas Colbacensis, frater Jacobus et frater Henricus de Brakele, monachi eiusdem, Bernardus, notarius noster, Theodericus de Hezstorp, Hasso, Zulitz, Ludeko, Henricus de Dofse, noster aduocatus, Henricus de Melentin, Betekinus Misnere, milites, et alii quam plures fide digni. Datum Fredeberg per manus nostri Notarii Bernardi, Anno domini M^o. CC^o. LXXXVI, Epacta quarta, Concurrente septimo, Indictione quarta decima, quintodecimo Calendas octobris, In die beati Lamperij Episcopi et Martyris.

Aus dem Marienwalder Copialbuche. Fol. 1.

II. Ritter Heinrich von Dofse gründet seinen Eltern eine Gedächtnißfeier bei dem Kloster Marienwalde, am 29. September 1293.

Vniuersis Christi fidelibus presentem paginam visuris H. miles de Dofse, salutem in eo qui est omnium vera salus. Cum teste apostolo non habeamus hic manentem Ciuitatem, Necessarium est, vt in futura quando suspirantes inquirimus, nobis nostrisque locum bonis operibus preparamus. Quare tam presentibus quam futuris, notum esse cupimus, Quod instinctu diuine pietatis moti comparsione circa fratres habitantes in loco, qui Marienwalde dicitur, Contulimus ob futuri commodi retributionem decem manfos feudales in villa Lascou cum omni Jure. Dicti nihilominus fratres in eodem loco Deo famulantes, memoriam patris nostri domini Theodorici et matris nostre domine Alburgis et patruorum nostrorum Joannis, Friderici, Hugonis, Rudengeri, Wilhelmi et omnium amicorum nostrorum nostramque perpetuo celebrabunt. Preterea dicti fratres anniuersarium patris nostri in die Urbani pape et anniuersarium matris nostre in die sancti Mathei Apostoli missis, vigiliis et orationibus singulariter peragent et deuote. In ipsis aut anniuersariis de bonis iam prenotatis omni occasione et excusatione quiescente fratribus due sient procuraciones quelibet die suo. Has autem procuraciones ne processu temporis Officialium minuat vel infringat Austeritas, quo fieri modo debeant, presentibus duximus inferendum. Diebus igitur prenotatis fratres,

habebunt panem Triticeum, vinum bonum, Cereuisiam bonam, Sturionem, Strumulum, Oua, pisces bonos, cum competenti piperis condimento. Super hoc vero donatione et ordinatione ne in posterum dubietatis scrupulus oriatur, presentem paginam sigilli nostri testimonio duximus roborandam. Datum anno domini Millesimo CC°. Nonagesimo tertio, Kal. Octob. tertio, hoc est in die sancti Archangeli Michaelis.

Aus dem Marienwalder Copialbuche. Fol. 127.

III. Abt Hermann von Kolbatz bestätigt die Stiftung des Ritters Heinrich von Dofse, am 29. September 1293.

Vniuersis Christi fidelibus presentem paginam visuris Hermannus dictus Abbas in Colbatz, Totusque Conuentus ibidem, cum deuotis orationibus salutem in filio virginis gloriose, Cum diuino legis ac naturalis Juris requirat auctoritas parentum profectibus filios infundare, Dignum penitus esse dinoscitur, vt quod viuis offerre debuerant, etiam defunctis impendere non omittant. Notum igitur esse cupimus tam presentibus quam futuris, Quod illustris miles dominus Henricus, dictus de Dofsa, inspiratione diuina preuentus de rebus a domino sibi Collatis sibi suisque vtiliter in futurum prospiciens parentumque suorum defunctorum curam gerens Nouelle plantationi, que Marienwalde dicitur, in remissionem peccatorum suorum et salutem animarum parentum suorum, Contulit decem mansos feudales in villa Lascou ad subsidium fratrum et diuini cultus promouendam teneritudinem pleno Jure, Dicti vero fratres ne tante gratie, quod absit, existant ingrati, Jam dicti domini Henrici parentum, hoc est patris sui domini Theoderici et matris sue Domine Alburgis et patruorum suorum Joannis, Friderici, Hugonis, Rudengeri, Wilhelmi et omnium parentum suorum et suam memoriam perenniter ac solemniter celebrabunt. Preterea dicti fratres anniuersarium patris sui in die Urbani pape et anniuersarium matris sue in die Sancti Mathei Apostoli missis et defunctorum officiis peragent et in ipsis anniuersariis fratres de supradictis bonis procuraciones habebunt duas, quamlibet die suo. Habebunt autem in ipsis procuracionibus panem triticeum, vinum bonum, cereuisiam bonam, Sturionem, Strumulum, Oua, pisces cum competenti piperis condimento. Nec constitutionem huiusmodi quisquam presumat minuere vel mutare, Ne vero super hac donatione in futurum cuiquam dubietatis scrupulus oriatur, presentem literam Sigilli nostri testimonio roborauimus. Datum Anno domini M°. CC°. nonagesimo tertio, Kal. Octob. III°, quod est in die sancti Archangeli Michaelis.

Aus dem Marienwalder Copialbuche. Fol. 128.